



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1857

LVI. Herzog Rudolph von Sachsen nimmt das Kloster Chorin in seinen Schutz, erläßt ihm seine Ungnade und bestätigt ihm als Erbe der Markgrafen die letzte Schenkung Woldemar's, am 30. November 1320.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54745](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54745)

lendinis et omnibus prouentibus, sicut dinoscitur ipsam possedisse, iusto venditionis titulo vendidisse. Ipsam vero venditionem et dimissionem ratam habere volumus presentibus confirmantes nostrum sigillum ad euidentiam majorem presentibus duximus apponendum. Data anno domini M^o. CCC^o. XX^o., die dominico ante festum beati Johannis Baptiste, in castro Stargard.

Aus dem nach dem Original des K. Geh. Staatsarchives berichtigten Abdrucke in Gerckens Cod. II, 460. Bei Gercken ist namentlich im Datum statt die dominico: die decimo gelesen.

LVI. Herzog Rudolph von Sachsen nimmt das Kloster Chorin in seinen Schutz, erläßt ihm seine Ungnade und bestätigt ihm als Erbe der Markgrafen die letzte Schenkung Woldemar's, am 30. November 1320.

In nomine Sancte trinitatis et indiuidue unitatis amen. Rudolphus, dei gratia Dux Saxonie, Angharie, Westphalie, Comes in Bren, necnon Burchgrauus in Magdeburch, uniuersis et singulis presentes literas visoris seu auditoris salutem in domino sempiternam. Acta modernorum idcirco priuilegiis roborantur, ne ut quandoque fieri solet a posteris maliciose infringantur. Dicente etiam sacra scriptura Adam exemplum meum ab adolescentia mea, Illustres igitur principes pie memorie, de Brandeburch Marchiones, corruptibilitatem Ade perhorrescentes, de suis rebus transitoriis Cisterciensis ordinis domum in Chorin manufactam in perpetuam memoriam sui ipsorum ad honorem dei omnipotentis et beate virginis matris Marie omniumque sanctorum in proprietatibus, possessionibus et rebus necessariis large et liberaliter dotauerunt, ut incorruptelam domus non manufacte in celis consequerentur. Nos vero, quos Dei pietas in dictorum principum hereditatem misericorditer ordinauit, ut nostra adolescentia exemplariter in bonam senectutem propecta predictae domus non manufacte gloriosum principem habeamus, propter Deum ipsis fratribus Abbati et Conuentui in Choryn omnem iram, indignationem et ingratitude, quas aduersus eos dinoscebamur olim habuisse, integraliter remittentes, ipsos recipimus cum claustro, rebus et fratribus ac hominibus et subditis eorundem in nostram, fratrum ac liberorum nostrorum tutelam, defensionem et protectionem perpetuam, volentes eosdem tanquam sub nobis positos contra quaslibet injurias quorumlibet confouere. Preterea ob amorem prefatorum Principum uniuersas possessiones cum suis terminis, proprietates, res et bona ab illis ab antiquo supradicto monasterio secundum tenorem priuilegiorum ipsorum fratrum de Choryn tradita, de mero consensu fratrum nostrorum et liberorum ac heredum firmiter ratificamus et donamus et precipue testamenti sui donationem, quam illustris princeps dominus Woldemarus, Marchio, eisdem in villis Goltiz, Bucholte et Cythene majore tribuit, condonamus, approbamus et ratificamus fratribus supradictis de mero consensu fratrum ac heredum nostrorum predictorum. Ex nunc jam eosdem Abbatem et conuentum in possessionem firmam, quietam et liberam omnium pheodorum, rerum et possessionum in precaria qualibet cum seruitio curruum aut alio seruitio, quocunque nomine censeatur, cum pratis, pascuis, molendinis, lignis, riuis et aquarum quarumlibet decursibus et mericalibus pecorum pascuis ab antiquo habitis ceterisque utilitatibus ad villam Cythene majorem pertinentibus mittimus: nam ante ipsos Slotheko, miles, per integrum annum et Redeko, miles, post eum per duos annos dinoscuntur dictam villam cum omnibus suis predictis appendiciis quiete ac liberaliter possedisse,

qua libertate sepedictos fratres confouebimus defensuri cessante contradictione quorumlibet importuna. Renunciantes omni juri nostro canonico et ciuili, quod videbamus habere in eisdem, similiter et in Bucholt, quicquid jam adepti sunt vel poterunt de pheudis a quolibet habente emptione legitima adipisci. Volumus insuper, quod nullus Aduocatorum nostrorum, Bodellorum vel Custodum lignorum aut terre Equitatorum in libertatibus, in precaria, in jure supremo et basso dictarum villarum aut quacunque angaria alia ipsas villas intrans sub intenta nostre gratie sepe nominatos fratres de Choryn et eorum subditos inquietet, turbet aut molestat. Vt autem hec nostra donatio, confirmatio et tuitio perpetuo inconuulsa et rata perseueret, presentes literas conscribi iussimus et munimine nostri sigilli fecimus roborari. Testes hujus nostri contractus aut rei sunt illustris princeps Wentzlaus, noster frater karissimus, nobilis vir Albertus, Burggravius de Lyznik, Fridericus et Hinricus, milites dicti de Aluensleue, dominus Nicolaus, prepositus in Bernow, Otto et Hinricus, fratres, pincerne de Scheyneckendorp, Thydericus Greptiz, Henningus et Hermannus, fratres, dicti de Wolkow, Hinricus de Slaberndorp, milites, et quam plures alii fide digni, quorum fides nullatenus est neganda. Datum Berlyn, per manum Thyderici, nostri prothonotarii, sub annis domini millesimo tricentesimo vicesimo, in die beati Andree apostoli.

Aus dem nach dem Original des R. Geh. Staatsarchives berichtigten Abdrucke in Gerken's Cod. II, 461.

LVII. Markgraf Ludwig bestätigt dem Kloster Chorin seine Besitzungen und Rechte,
am 23. October 1324.

Lodewicus, dei gratia Brandenburgensis et Lusatie Marchio, Palatinus Comes Rheni, Dux Bauarie, Sacri imperii Archicamerarius, Omnibus in perpetuum. Quamuis mentis nostre circa hoc sedulo versetur intentio, quomodo omnibus sante orthodoxeque ecclesie fidelibus pii operis nostri studio placeamus, subditorum tamen nostrorum ingens fidelitas ad hoc specialiter nos allicit, quomodo cure nostre ingentis sollicitudine specialius atque seruentius placeamus. Inde ergo est, quod honorabilis ac religiosi viri Domini fratris Heysonis, Abbatis, et conuentus monasterii in Choryn, quod quondam Stagnum sancte Marie vocatum est, Cystercienfis Ordinis deuotis ac supplicibus requisitionibus inclinati uniuersas ipsius monasterii libertates, proprietates, jura atque immunitates, quibus monasterium ipsum persone, bona eorum et subditi per Antecessorum nostrorum quondam Marchionum Brandenburgensium priuilegia et litteras muniti ac adornati sunt, Nec non omnia ipsorum priuilegia litteras vel instrumenta ipsis per eosdem nostros Antecessores seu per alios rite data et concessa super proprietatibus, libertatibus, possessionibus, bonis, juribus seu super quibuscunque donationibus, siue inter vivos vel in ultima voluntate approbamus, ratificamus ac presentis pagine patrocinio confirmamus. Nolentes per nos nec nostro nomine per alios ipsorum possessiones, jura et proprietates nobis aliquatenus vendicare vel eorum libertati, quam priuilegiis edocere poterunt, in aliquo contraire, quin imo ipsum monasterium, personas, bona et subditos nostre perpetue et singulari protectioni supponimus, procuraturi eorum compendia sincere et ab ipsis queque dispendia nostri operis efficacia remoturi. Et ut premissa omnia et eorum quodlibet stabili firmitate subsistant, presentem paginam inde confici et sigilli nostri robore de nostra certa scientia fecimus communi.